



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

Francisco Josepho Regio Hungariæ Et Bohemiæ Principi Archiduci Austriæ
Duci Burgundiæ, Brabantiae Etc. Magno Hetruriæ Principi Comiti
Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis Etc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

FRANCISCO JOSEPHO

REGIO HUNGARIE ET BOHEMIE PRINCIPI

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ ETC.

MAGNO HETRURIE PRINCIPI

COMITI HABSPURGI, FLANDRIE, TYROLIS ETC.

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS JOSEPHI II, Patru Tui, SERENISSIME ARCHIDUX, voluntati sacratissimæ cupide non minus, quam reverenter obtemperantes, presentem vastissimi, quod Acta Sanctorum nuncupatur, Operis Bollandiani Tomum, clarissimo Nomini Tuo inscriptum reverenterque dicatum, qui modo in lucem prodit, ad Regiæ Celsitudinis Tuæ Pedes, qua par est, veneratione deferimus, spe firma concepta, fore ut eum, Augustissimi Patru Tui præsidio ac munificentia elaboratum, non minori, quam qua jam plures Casareo-Regii Augustissimæ Domus Tuæ Principes excipere tot alios Sibi dedicatos Operis ejusdem Tomos, benignitate excipias. Id quidem, unde fors litterarius ille vigiliarum nostrarum fetus non idem omnibus sui desiderium inspiret, nonnulla etiam, quæ commentis hinc inde sunt inspersa, Sanctorum Acta complectitur : verum, præterquam quod hæc simul Commentariis, in quibus, severa juxta ac figmentis inimica crisi adhibita, non modo, quæ produnt, vera a falsis certaque a dubiis secernuntur, sed et quæ, matura ac sedula instituta indagine, commentitia visa sunt, accurate ac sincere notata audacter, etiam, solius veritatis ratione habita, rejiciuntur, illustrata exhibeat, continet insuper longe plura notæ undequaque probatæ Acta, quæ cum ab auctoribus vel æqualibus vel supparibus fide optima litteris

Octobris Tomus V. 1 teris

teris sint mandata, commentis certe, Sanctorum gloriam offuscare potius quam vel atollere vel utcumque augere natis, vacua existunt, mirificeque ad totius terrarum orbis historiam, non tantum ecclesiasticam, verum etiam profanam elucidandam conducunt. Nec parum eo etiam subinde vel ipsamet, quæ fabulis infecta ac deturpata sunt, Sanctorum Acta aut certe, quæ in hisce, uti interdum fit, veritati consona fideque digna deprehenduntur ac diserte veluti talia in Opere Bollandiano, argumentis, quæ rem solide probent, adjunctis, pronuntiantur, conferre, eruditis passim est notum. Hinc factum, ut horum non pauci, vehementissime sese, ut lucubrationum nostrarum filum, quod inopinato totique orbi notissimo casu tantisper interruptum dolebant, actutum resumeretur, desiderare, ratione non una manifestarint; cum vero, SERENISSIME PRINCEPS, id Avia Tua Augustissima MARIA THERESIA recordationis gloriosissimæ Imperatrix Regina, beneficentissima Operis nostri Patrona, haberet compertum, haudquaquam, quæ Reipublicæ litterariæ utilitatem spectare probe noscebat, virorum optimorum vota cadere ad irritum passa, hisce cumulatis facere satis ac solita sua, qui in Opus Bollandianum, ab ipsismet etiam heterodoxis ac in primis abs horum eruditissimo Leibnitio summo in pretio habitum, incumbere, liberalitate juvare ac suffulcire benignissime voluit, idque ipsum Patrus Tuus AUGUSTISSIMUS JOSEPHUS II, Dominus noster clementissimus, Matris Suæ, ad Superos jam translata, vestigiis insistens, facere non omisit. Utinam, faventibus Cœlitibus omnibus, in multos annos vitam optato rerum lætarum continuo sibi succedentium cursu felicem producat! Utinam sic diu adhuc labores nostros litterarios, commentis factisque prodigiosis, quæ nimia veterum credulitas simplicitasque perperam subinde Sanctis affinxit, explodendis aut certe, cum id res fert, confutandis impendi non raro solitos ac vel sic in Dei simul et horum gloriam cedentes, fovere ac porro munificentia sua valeat excitare! Utinam quæ tum in Regiæ Celsitudinis Tuæ, tum in totius Augustissimæ Domus Suæ splendorem et gloriam meditatur, prosperrime perficiat! Nos certe, SERENISSIME ARCHIDUX, ut hæc omnia impertiri ac in primis Regiam Celsitudinem Tuam, Cui hoc Operis nostri Volumen, veluti exile nostri erga eam amoris ac venerationis pignus, dicamus, diutissime una cum Patruo Tuo Cæsare Augustissimo, cum Patre et Matre magnis Hetruriæ Ducibus, cum numerosa horum Prole ac demum cum universis Augustissimæ atque amplissimæ Domus Tuæ Principibus sospitem atque incolumem servare dignetur, Deum ter Optimum Maximum enixissime precari non cessabimus.

SERENISSIME ARCHIDUX

CELSITUDINIS TUÆ REGIÆ

Devotissimi clientes

CORNELIUS BYEUS,
JACOBUS BUEUS,
JOANNES BAPTISTA FONSONUS.